DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

# PHLEGMASIA DOLENTE.

---


AUCTORE GULIELMO ROBINSON.

---

Hic morbus, sive obscuram naturam ejus, sive finem incertum contemplamur, unus est ex iis qui Medicis summam solicitudinem movere solet. Tot enim tamque contrariæ inter se opiniones, de hoc malo, prolatæ sunt, ut cui potissimum acquiescamus, dictu difficillimum sit; liceatque fortasse colligere plerasque ex his ingenium potius atque facundiam, quam firmam rei cognitionem redolere.



[1826]



Veruntamen meum est, non tam exprobrare summorum virorum conjecturas quam proponere. Cogito igitur, in hac dissertatione, præcipuas opiniones de causa proxima Phlegmasiæ Dolentis, atque ita de felicissima ejus curatione, breviter narrare.

Hujus morbi prima bona descriptio a Mauriceau data est, a quo existimatum est,* eum ex metastasi lochiorum oriri; similisque postea opinio a Mesnard prolata est. A Puzos autem hoc malum ad lactis metastasin relatum est; idemque putaverunt Levret, Lieutaud et Sauvages. Apud nos Wiseman atque Menningen morbum leniter quidem attigerunt; primum vero in Britannia nostra bene descriptus est a Clarissimo Viro White, Chirurgo Mancuniense. Secundum eum, Phlegmasia Dolens ex impedimento aliquo, sæpeque ruptura, vasorum lymphiferorum juxta inguen proficiscitur, id quod oritur ex compressione partium, per caput infantis, inter parturiendum. A White autem tumor, ab inguine incipiens, gradatim per membrum descendere dicitur.

Ex oppugnatoribus vero hujus sententiæ celeberrimus est Doctor Ferriar, Mancuniensis; a

quo morbus ex inflammatione potius horum vasorum, quam ex ullo impedimento, concitari existimatur. Negat quoque, id quod a White affirmatur, tumorem ab inguine semper procedere; unumque exemplum narrat, in quo hic a pede primum se ostendit.

At vero non existimandum est, quia a White causa proxima morbi impedimentum aut ruptura vasorum lymphiferorum putata est, eum ex toto negasse inflammationem unquam accedere. Concedit hoc quidem; sed sic ut putet hanc inflammationem potius factam esse ex vasorum distentione quam ab initio et per se existere. Quin-etiam non minus White quam Ferriar Phlegmasiam Dolentem ex inflammatione oriri primum arbitratus erat; verum postquam animadverterat quam tarde morbus sæpe accedat, hanc opinionem repudiavit. Atqui contra utramque ex istis opinionibus Doctor Ferriar multa validaque argumenta profert.

Etenim, "Quapropter," inquit, de priore loquens, "vasa lymphifera distenduntur, si adhuc in-"tegra sunt, atque ad officium suum apta, tum cum

" effusio occurrit. Neque enim ita se res habet in " hydrope. Necessario igitur aliquid est quod ef- " fusi humoris absorptionem impedit; idque ip- " sum, ut ostendi, effusionem et facit et sustinet." Quod pertinet vero ad tempus quo morbus se primum ostendit, ut dixerat White, est plerumque duodecim quindecimve diebus post partum; quod concedens Ferriar, concedens etiam morbum non nisi post plures hebdomadas accedere, " Hoc ip- " sum," inquit, " contra White sententiam est; " etenim, si vasis lymphiferi ruptura membri tumo- " rem movere posset, necessario protinus permo- " veret, utique prope rupturam." Affert quoque Ferriar quædam exempla talis rupturæ, veluti in luxationibus, ubi nulla distentio vasa lymphifera ita occupaverat.

Hæc igitur brevis historia est opinionum, de hac re, White et Ferriar. Plurima alia dici quidem in utramque partem possent; verum impedit hoc necessaria brevitas hujus generis dissertationis.

Secundum Doctorem Tyre, quidem, causa proxima Phlegmasiæ Dolentis est impedimentum aliquid vasorum lymphiferorum, ortum ex inflam-

matione; quæ quidem inflammatio, aut ex compressione, aut ex absorptione materiæ corruptæ, proficiscitur. Itaque hæc opinio quasi composita ex sententiis White atque Ferriar esse videtur.

Hæc vero ut prætermittam, venio nunc ad Doctoris Davis opinionem, quæ edita est anno 1819, in libro illo, "The Medico-Chirurgical Transac-"tions of London," quæque explicationem hujus mali ex toto diversam ab iis omnibus quæ antea prolatæ erant, eandemque corporum sectionibus recte confirmatam affert.

Ut inquit ille, "Phlegmasiæ Dolentis causa "proxima est vehemens inflammatio unius plu-"riumve venarum magnarum, intra aut prope pel-"vim; qua tunicæ earum crassescunt, novæque "membranæ a parte interiore formantur, et con-"tentus sanguis coagulatur, neque raro suppura-"tio totam earum texturam occupat; quo fit ut "canalis, aut multum impediatur, aut ex toto in-"tercludatur, ut non possint sanguinem quem ac-"cipiunt in majores suos truncos propellere."

Ad sustinendam hanc opinionem, quatuor exempla, quæ in mortem desierunt, narrantur, cum

aspectu postea membrorum; aliudque subjicitur a ZINN, sic tamen ut Doctor DAVIS nullo modo explicationi ZINN acquiescat. Ut ait ZINN, in exemplo supra dicto, "Adaperto corpore, deprehen-"dimus aliquas ex glandulis inguinalibus scirrho "affectas, multumque ampliatas, et venam crura-"lem circumdantes, ita ut canalis ejus valde im-"minueretur." At vero multo magis credibile est, ut inquit DAVIS, veram causam hujus imminuti canalis venæ, esse inflammationem hoc ipsum vas occupantem; vitiumque glandularum inguinalium ex earum vicinitate ortum fuisse.

Atque hoc exemplum, a ZINN narratum, conceditur ab omnibus verum exemplum Phlegmasiæ Dolentis fuisse; omnia autem quæ a Doctore DAVIS allata sunt, in uno ex maxime celebribus Diariis medicis, negantur ita esse: operæ pretium igitur esse videtur hujus dissentionis causas curiosius paulo prosequi.

Igitur, in exemplo a ZINN proposito, "Crus "dextrum," inquit, "tumore œdematoso correp-"tum est, qui a calce ad inguen tetendit, quique "dextrum labium pudendi ampliavit." In primo

autem exemplo a Davis narrato, dicitur, " Labi-" um pudendi tumidum et œdematosum est;" atque iterum, " sinistrum crus multum tumet, do-" lorque in inguine est:" postea, " crus ex com-" pressione foveolam accipit;" atque tandem, " to-" tum crus pariter tumet." In secundo exemplo, mulier gravem accessionem peritonitidis puerperæ passa erat; quæ, postquam remediis deplentibus discussa erat, " profundus dolor inguen oc-" cupavit, perque vasa cruris tetendit, idemque " crus vehementer intumuit et doluit." Tertium autem exemplum fuit mulieris, quæ post naturalem facilemque partum, vicesimo die vehementi diarrhœa correpta fuit, quæ astringentibus remediis depulsa est, sic tamen ut aliquid febris superesset. Tertio die rediit diarrhœa, " sinistrumque " crus multum intumuit, cum magno dolore, fe-" brisque incremento." In quarto exemplo mulier corporis imbecillioris, septimo die post partum levi inflammatione thoracis ex frigore correpta est; quæ cum sanguinis missionibus sublata erat, post triduum, " evidentia signa Phlegmasiæ " Dolentis se ostenderunt."

Hæc ubi ita sunt, licet fortasse quærere, quapropter, dum conceditur exemplum, a Zinn narratum, veræ Phlegmasiæ Dolentis fuisse, ea quæ a Davis proponuntur non admittantur? Nihilominus in libro jam citato hæc sunt: "Unless Dr "Davis lays before the public a more circumstan-"tial detail, we hesitate to acknowledge the cases "in question to be genuine examples of Phleg-"masia Dolens." Dolendum quidem est Doctorem Davis, ubi loquitur de conditione partium post mortem, parum aut nihil dicere de membri *generali* aspectu; solumque eas *proprias* partes describere, quæ ad sententiam suam de morbi natura sustinendam conferunt. Veruntamen a Zinn quoque nihil pene de membro dicitur, nisi quod ad glandulas inguinales, venamque cruralem pertinet: verique simile est, utrumque pariter omnia prætermisisse, nisi id quod suam propriam opinionem maxime illustraret; neque videre possum cur hoc privilegium, cum alteri concedatur, alteri negetur.

Jam vero dixi non meum esse opiniones exprobrare, sed solum enarrare; itaque quæstionem re-

linquens de propria natura eorum exemplorum quæ a Davis prolata sunt, festino nunc ad præcipua argumenta, quibus comprobare vult, causam proximam Phlegmasiæ Dolentis esse venarum inflammationem.

Constat igitur inter omnes qui de hoc morbo scripserunt, dolorem in inguine esse unum ex primis signis ejus; atque, ut inquit Davis, post Levret, sedes doloris ex toto respondet ad venarum positum. Hujus rei testimonia ex Tyre, White et Hull abunde colligi possunt; aliudque a Davis citatur, quod in illo libro, "The London Medical Repository," continetur. Quinetiam, in omnibus exemplis hujus mali quæ ipse viderat, cum mulieres dolorem cruris conquestæ sunt, . repererat semper eas a levissima compressione in inguine protinus recedere. Ut credit Davis igitur, pressura uteri, per graviditatem, conditionem varicosam venarum superficialium efficit in membro inferiore; ita ut circuitus sanguinis perturbetur, proclivitasque Phlegmasiæ Dolenti oriatur. Quod si causa aliqua adaucti sanguinis circuitus per universum corpus postea accidit, verisimile est

fore ut hoc malum concitetur; id quod maxime in partu occurrit, variisque morbis qui post partum oriri solent.

Vulgo dicitur quod Phlegmasia Dolens idem membrum raro aut nunquam bis afficit; ideo fortasse quia venæ priore inflammatione ita destruuntur, ut morbus iterum accedere non possit. Interdum tamen, ut inquit DAVIS, hoc occurrit; quia, ut videtur, venæ prius affectæ non ex toto deletæ sunt, aut quia quædam ex interioribus venis ab inflammatione præcedente immunes fuerunt.

At si inflammatio magnarum venarum revera causa proxima Phlegmasiæ Dolentis esset, sequeretur ut omnes minores rami multum ampliarentur; quoniam per has demum circuitus sanguinis postea efficeretur. Atque ita quidem, ut ait DAVIS, res se habet: in omnibus enim propemodum membris, quæ post hunc morbum exploraverat, repererat omnes cutaneas venas plurimum adauctas, valdeque inter se conjunctas; idque magis quo propius ad inguen accederent.

Atque hæc igitur brevis historia est opinionis de hac re Doctoris DAVIS; qui quidem, (si modo

exempla quæ narravit revera Phlegmasiæ Dolentis esse conceduntur,) non parum attulisse videtur, ad hujus morbi naturam explicandam.

Veruntamen non solum in eo libro de quo jam dixi opinio illa quam sustinet DAVIS oppugnatur: Etenim Doctor HOSSACK, in opere suo miscellaneo nuper edito, sententiam Doctoris HULL ita amplectitur, ut in opinionem DAVIS aliqua ex parte invehatur; neque credat, quia venæ femorales atque iliacæ in hoc morbo quodammodo vitiantur, has ideo primam sedem morbi esse. "Quin-"etiam," inquit, "ea quæ dicuntur, de conditione "partium post mortem, nullo modo mihi compro-"bare videntur, has venas inflammatas fuisse; ne-"que possum vel unum argumentum deprehen-"dere, unde colligere licet morbum in his propriis "vasis incipere, sed e contrario, plurima sunt quæ "opinionem plane diversam inculcare videntur."

Sequitur Doctor FRANCIS, qui etiam quædam de Phlegmasiæ Dolentis natura scripsit; quique arbitratur hanc in variis exemplis variam esse; atque ita, neque solum post partum accedere, neque solum fœminas infestare.

Superest solum ut dicam in libro jam sæpe citato tria exempla Phlegmasiæ Dolentis reperiri, quæ a M. Velpeau narrantur; quo propemodum eædem opiniones, quod ad sedem causamque proximam morbi sustinentur, quæ a Davis propositæ sunt; neque minus de his tribus exemplis quæstio fit, an essent veræ Phlegmasiæ Dolentis, quam de quatuor iis quæ a Davis narrantur, quæque a me jam supra citata sunt.

Jampridem quidem a Doctore Hull dictum est, hunc morbum ex inflammatione oriri, sic ut magnus fluxus seri lymphæve coagulabilis ex vasis exhalantibus in telam cellulosam membri ita moveatur. Atque hæc opinio de causa proxima Phlegmasiæ Dolentis, summam confirmationem nuper accepit a celeberrimo viro Doctore Duncan juniore; qui in libro illo, "The Transactions of "the Medico-Chirurgical Society of Edinburgh, "1824," unam atque alteram historiam protulit, unde maxime verisimile esse videtur, hunc morbum ex inflammatione diffusa telæ cellulosæ potius quam ullius alius partis oriri. Nimis longa sunt hæc exempla quam ut hic inseram; sed quærenti-

bus veram pathologiam hujus terribilis mali operæ pretium certe erit librum ipsum comparare, diligenterque legere.

Hæ igitur sunt præcipuæ opiniones quæ de Phlegmasiæ Dolentis causa proxima prolatæ sunt; tamen non licet ex toto prætermittere id quod de hac re dicitur a Doctore Mason Good, in amplo illo laboriosoque libro, quem de Medicinæ Studio nuper scripsit. Ut putat ille, morbus qui a Davis descriptus est, potius "Phlebitis" fuit, quam "Bucnemia Sparganosis," quo novo nomine Phlegmasiam Dolentem significare placet. At posterior morbus, secundum Mason Good, a vitio vasorum lymphiferorum oritur; atque ita cum Tyre maxime consentire videtur, qui compositam opinionem, quasi inter White et Ferriar, tenere jam dixi; siquidem, ut posterior, admittit horum vasorum inflammationem, ut prior autem, judicat hanc inflammationem ex distentione proficisci. Quod vero proprium est sententiæ Doctoris Good, est existimare causam prædisponentem hujus distentionis esse id quod a Joanne Hunter vocatur "Stimulus relaxationis;" ideo quia, past partum,

vasa lymphifera libera sunt ab ea compressione quam per totam graviditatem passa sunt, atque ita facilius distentioni cedunt.

Hujus rei fides penes auctorem sit; nimis enim jam longus fortasse fui, in variis opinionibus variorum auctorum, de causa proxima hujus mali, tradendis. Veniam igitur protinus ad signa ejus paulo subtilius proponenda, tandemque optimam, ut videtur, curationem, breviter subjiciam.

Igitur, antequam tumor dolorque cruris accedunt, plerumque quædam generalia mala corporis se ostendunt. Indicia satis manifesta sunt insolitæ irritationis uteri, aliarumque partium intra pelvim; neque raro aliquid inflammationis ventrem occupare, atque ad epigastrium usque se extendere videtur. Accedit plerumque aliquid molestiæ et difficultatis in urina reddenda; omniaque generalia signa febris urgent.

Hæc omnia tempore plane incerto post partum se ostendere solent, a decimo die usque ad hebdomadam quintam. Nunc vero incipiunt rigiditas atque dolor in inguine, prope cursum ligamenti te-

retis uteri, atque, post aliquot horas, tumor, qui gradatim per totum crus percurrit : secundum Burns autem, dolor atque tumor primum in sura sæpe sentiuntur, aut in genu, prope insertionem musculi Sartorii ; iidemque modo per hunc musculum procedunt, modo ad ipsum calcem extenduntur.

Membrum autem ita occupatum, tensum atque resiliens est, admodumque calidum ; quamvis nullus rubor, veluti in plerisque aliis inflammationibus, accedere solet, quinetiam membrum pallidissimum et nitens est. Interdum hi affectus, non ad inguen solum, sed etiam ad labium pudendi tendunt.

Quæcunque autem partes infestentur, plerumque quo magis tumor increscit, eo minus dolor urget, quamvis hic raro ex toto desinit. Pulsus sæpe celerrimus est ; interdum ad centum et quadraginta ictus in horæ sexagesima parte ; fereque, ut dicit Burns, tenuis et durus. Lingua alba est, magnaque sitis vexat. Mulier perpetua vigilia cruciatur, perque noctem copiosis sudoribus conficitur. Facies pallida est : alvus astricta, vel si quid redditur,

male olet; urina quoque turbidissima est. Quod pertinet ad lochiorum profluvium, hoc interdum ex toto sistitur; interdum valde fœtidum est, interdum nullo modo afficitur. Dicitur a BURNS quod in hoc morbo os uteri apertum manet.

Tempus autem quod tumor postulat ad summam suam magnitudinem adipiscendam, admodum varium est. In mulieribus laxi habitus corporis, vel quæ anasarca ex crebris graviditatibus affectæ sunt, plerumque citius quam in aliis maturescit; sed medium tempus fortasse quo hoc efficitur, est inter horas viginti et quatuor et quadraginta et octo. Hic tumor parum aut nihil imminuitur ex ulla mutatione posituræ, uti in anasarca accidit; neque si vulneratur, aliquid seri effundit.

Atque hæc quidem præcipua signa Phlegmasiæ Dolentis sunt. Superest ut curationem dicam; quæ quidem, utcunque diversæ sententiæ medicorum de natura ejus sint, propemodum inter omnes constat.

Quoniam igitur morbus evidenter ex inflammatione est, sive hæc in vasis lymphiferis, sive in

glandulis, sive in tela cellulosa, sive in venis sit, curatio necessario a sanguinis missione incipit; et cum prima signa ejus plerumque in partibus intra pelvim se ostendant, ex his propinquis optime initio mittetur. Itaque a duodecim ad octodecim hirudines protinus supra inguen admovendæ sunt, aliæque fortasse ad femur; et alvus libere movenda est. Hæc, ubi satis mature facta sunt, morbus interdum, ut inquit Davis, ex toto recedit, neque generalem sanguinis missionem desiderat. Primo aspectu quidem verisimile esse videtur fore ut talis sanguinis detractio plurimum prosit; sed affirmat Davis se non potuisse ne unum quidem exemplum hujus morbi narratum reperire, post tempora Puzos, quod sanguinis generali missione sanatum est; quinetiam eos qui huic uni remedio confisi sunt, omnes miserrime falsos fuisse. A Puzos quidem existimatur morbus sæpe in mortem desiisse, ideo quia non satis sanguinis miserat; sed tamen, si consideramus imbecillam plerumque conditionem eorum corporum quæ potissimum hoc morbo vexantur, majoremque copiam sanguinis in pelvi eorum quam in aliis partibus, manifestum, credo, erit, sanguinis generalem detractionem non

nimiam esse debere, partialemque sæpe plus valere.

Neque quidem alvus, quamvis initio bene moveri debet, crebris medicamentis purgantibus vexanda est; siquidem abunde est, per discursum morbi, si quotidie respondet.

Hæc igitur, si per se non valent ad morbum discutiendum, amplum vesicatorium inguini partibusque vicinis adhibendum est; atque, ut a Burns dicitur, fomenta frictionesque cum linimentis excitantibus membro admovendæ. Quæritur tamen a Davis, an fomenta prosint, nisi tum cum volumus adaugere fluxum sanguinis ex morsu hirudinum; aut cum tumor subito et sponte recessit; et frictiones certe longo morbo præcipue adaptantur.

Frigus autem, ut initio periculosum est, ita, ubi morbus longior factus est, sæpe multum adjuvat; itaque membrum aut aëri objiciendum est, aut linteis frigidis lotionibus madidis obvolvendum.

At, donec persistit febris, hæc, haustibus salinis, medicamentisque ex antimonio, et fortasse digitali, aliisque quæ sanguinis circuitum temperant, mo-

deranda est. Ex his, digitalis, secundum Davis, tuto dari potest, a duobus granis pulveris, ternis quaternisve horis, donec mulier ad grana viginti et quinque aut triginta sumpserit; cum parcius paulo danda est, donec postulati effectus ejus in sanguinis circuitum manifesti sunt. Eadem fortasse per plures hebdomadas adhibenda erit, idque maxime si quis metus est ne morbus alterum crus aggrediatur; diciturque a Davis, si cum parva copia pilulæ hydrargyri conjungitur nauseam minus movere.

Quod si in discursu morbi magna irritatio, citra multum febris, oritur, medicamenta ex opio plurimum auxilii sæpe afferunt; et, ad finem ejus, ubi præter imbecillitatem nihil relinquitur, cinchona, vino, acidoque sulphurico, et aliis remediis corroborantibus opus erit.

Confitendum tamen est, præcipuam partem curationis, ut omnium morborum ex inflammatione, ita hujus quoque, ex remediis deplentibus, initio recte adhibitis, constare: quo nomine satis laudare non possum spectatissimi præceptoris mei, Doctoris Mackintosh, consilium atque usum; qui omnium acutorum morborum vires ita initio frangere

solet, ut perpauca remedia, aut in progressu suo, aut ad finem, postulent. Hæc enim mihi optima, atque adeo sola vera medicina esse videtur, non turba medicamentorum singula signa, uti oriuntur, superare, sed principiis ita obstare, vehementique morbo ita occurrere, ut minus multiplicia signa postea sint, quam ut multiplicia remedia desiderent.

FINIS.